



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCIV. Ad idem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

nem ejus Idem frater fuit, apparuerunt tres soles circa octavam horam. unus in oriente innaturalis: duo in meridie, unus naturalis, alter contra cursum naturae, & diu duraverunt, & quilibet suos radios emittebat. Hoc fuit quoddam indicium & prodigium significans mortem Papæ & post mortem ejus ad modicam scissuram Collegii; duravit tamen ista scissura per duos annos & IV. menses, antequam Cardinales concordarent in Electione futuri Papæ. Hoc idem signum similiter apparuit tempore mortis Iulii Casarï ut scribit Comes tor & post mortem facta est scissura Senatus. Eodem anno XIII. Kalend. Maji moritur Papa Clemens eo die revoluto anno, quo cometa incepit apparere. Hoc etiam anno XII. Kal. Nov. Lodewicus de Bavaria & Fridericus Dux Austriae in discordia sunt electi in Regem Romanorum, tempore quo sedes Apostolica vocavit XXIX. menses, & duravit inter eos haec discordia usque ad annum Domini MCCCXXII. ubi in vigilia Michaelis Lodewicus Dux Bavariae post multa bella inter se habita Fridericum Ducem Austriae cepit in bello, & captum detinuit II. annis, ex tunc facta fuit concordia inter ipsos.

ut opus Domini incœptum aliqualiter retardaret. Unde quod ad laudem Domini nostri Jesu Christi incœperant Zelo fidei succensi, viriliter confisi in Domino perfecerunt. Sequenti ergo die dictum territorium potenter intraverunt, & quicquid in eo intra tres leucas constitutum fuit, vastaverunt incendio & rapinâ, & occisis & captis septingentis hominibus cum præda maxima redierunt.

## CAP. CCCIV.

*Ad idem.*

Eodem

Eodem anno circa purificationem B. Virginis idem Fr. Henricus Marschalcus cum omni potentia exercitus sui venit ad territorium Medenikam iterum, & castrum ibidem dictum Sis-diten impugnavit, castrensis ex adverso viriliter se defendentibus, & in hac pugna, quæ diu duravit, de parte Lethovvinorum germanus Masini & XVIII. alii, ceciderunt imperfecti: sed de parte fratrum tres fratres, scilicet, frater Henricus Ruthenus, Fr. Ulricus de Cecinge, & Fr. Rebodo de Ysenburgk; & IV. viri in armis strenui, scilicet Spagerat, Queramde, Waldovv, Michael, & Mindota. Hoc facto cum non proficerent in impugnatione castri, profecti sunt ad territorium ejus, & iterum depopulaverunt per incendium & rapinam.

## CAP. CCCXV.

*De**Vastatione terræ Crivitiæ & expugnatiōne Civitatis parva Nogardia.*

Hoc anno in mense Septembri idem frater Henricus Marschalcus cum omni virtute exercitus sui venit ad terram Crivitiæ, & civitatem illam quæ parva Nogardia dicitur cepit, & funditus destruxit. Et terram circumiacentem rapina & incendio multipliciter molestavit, fixisque ibi tentoriis, ante castrum dictæ civitatis pernoctans, sequenti die ipse & totus exercitus accesserunt ad castrum, & ipsum fortiter impugnaverunt, sic quod ex utraque parte aliqui occisi & plures fuerunt lethali-ter vulnerati. Sed cum in hac impugnatione non proficerent, recesserunt, & dum venirent ad locum ubi custodes ad sarcinas reliquerunt, invenerunt XXX. viros per David Castellanum de Gartha occisos, & mille & quingentos equos, panes, & quicquid

Bbb 3

de

